

picere dignantur, nedum juvant aut solantur, quando ibi in fasciculum foetentium cadaverum quorumcumque compingerentur.

X. Fasciculis ligatis solent plerumque messorum nodum vinculi ictu aliquo claudere et verbere addito quasi firmare. Clausula hæc in iudicio et nodus insolubilis est sententia iudicis irrevocabilis, quæ claudit, et nemo aperit. Persarum et Medorum leges adeo immutabiles esse discimus ex lib. Dan. c. IX. ut nec regibus quidem mutare eas licitum foret. Hinc cum decretum a rege fuisset, ut qui præter ipsum invocaret alium sive hominem pro re aliqua, mitteretur in lacum leonum; cumque Daniel hujus legis transgressor accusatus esset, rex licet conaretur servare Danielem, nullum tamen modo poterat, satrapis clamantibus, decretum Persarum immutabile esse. Multo minus cogitandum fore, ut Deus, qui natura sua immutabilis est, mutet aliquando quod semel statuit. Actum igitur est de solutione hujus vinculi: nec gladius Alexandri, nec gladii angelorum nodum hunc secare possunt.

XI. Colligatis eo modo fasciculis, aliqui ex illis subinde eriguntur ad solis radios, et ita erecti stant in agro: alii humi jacentibus. Simili modo electi stabunt in iudicio erecti juxta Christum in aere: reprobi vero in valle Josaphat depressi jacebunt, neglecti, contempti, maledicti. Atque ita fiet, quod Joseph in somnio suo vidit: Putabam, inquit, nos ligare manipulos in agro, et quasi consurgere manipulum meum et stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum, Gen. XXVII. Quod quidem in hoc sæculo fuisse impletum scimus ad litteram, cum Josephi fratres ipsum prostrati adorarunt, factum in Ægypto principem, sensu tamen anagogico implebitur in iudicio, cum impii cogentur venerari et quasi adorare, quos hic spreverant, odebant et vexarant electos. Tunc enim stabunt justus, ait Sapiens, Sap. V. in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, etc. reprobi vero videntes timore horribili turbantur et mirabuntur in subitatione insperata salutis (electorum) dicentes intra se, etc. Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improperii, etc. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. Egredierunt fratres Josephi, quod ipsum aliquando adorare deberent, ideoque mortem ei machinati sunt. Quam

ergo durum erit reprobis aspicere ibi electos, velut dominos suos revera constitutos in gloria majestate! Vidimus alibi quanto pudore Ottocarus rex Bohemiæ flexerit genua coram Rudolpho imp. olim ministro suo. Id continget ibi multis magnatibus ac regibus.

XII. Denique, messorum et horum omnium executores erunt angeli non mali (quia et ipsi iudicandi, et de novo damnandi erunt) sed boni, et, ut credibile, illi ipsi, qui custodes fuerunt. Etenim in hodierno evangelio mandatur hoc officium angelis, qui zelo honoris divini et salutis animarum eradicare volebant zizania. Gerant illi imprimis falces suas, veluti messorum; qualem unum post Christum iudicem vidit prodeuntem ad iudicium, Joan. Apoc. XIV. apud Ezech. vero, c. IX. dicitur de illis: Unusquisque vas interfectionis habet in manu sua. Hoc instrumentum, hæc falx erit ignis conflagrationis, quo absumentur non modo omnes homines, qui extremo tempore vivent, sed et mixta omnia, quia eorum nullus amplius erit usus, extinctis eorum dominis quibus serviebant. Quemadmodum enim ante oppressionem Piuris, civitatis in valle Telina factam, an. 1618. 4. sept. duo examina apum ita furiose inter se pugnarant, ut omnes utrinque mortuæ coneciderint, quasi præsensissent se non habituros deinceps possessores, ut refert Corn. in c. VI. Apoc. ita ante iudicium omnes creaturæ, quæ servierunt hominibus præter cælos et elementa, partim se invicem absumunt, partim igne illo absumuntur. Deinde, ignem illum veluti leonem prædas expectantem immittent in damnatos, post latam sententiam, sicque eos rursus demtent e terra, et detrudent in abyssum. Terribile spectaculum super omnia terribilia, hinc terribilius, quod ii, qui ab angelis tanta olim charitate et benevolentia quasi educati, defensi, et ad omne bonum stimulati fuerunt, ab iisdem tam atroci pœna mulctandi et mactandi atque exturbandi sint.

Quare, auditores, attendamus nobis, ne zizania simus, si cum zizaniis non volumus comburi. Dum dormirent homines, creverunt zizania qui si vigilassent, zizania inimicus homo non superseminasset. Vigilemus itaque, quod toties monet in evangelio Dominus: Quod vobis dico omnibus dico: Vigilate.

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

EVANGELIUM. MATTH., XIII.

In illo tempore, dixit Jesus turbis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo; quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cæli veniant, et habitent in ramis ejus. Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis, ut impleretur, quod dictum erat per prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.

CONCIONES.

- I. Militans Ecclesia cur vocetur regnum cælorum.
- II. Incrementa Ecclesiæ.
- III. Regnum Christi quantum alia regna superet.
- IV. Quibus modis ac mediis fides propagata sit.
- V. Causæ propagationis hæresum nostri temporis.
- VI. Multiplex verbi Dei auditus fructus et non auditus damnum.
- VII. Documenta.
- VIII. Mystera.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Verbum Dei simile grano sinapis.
- II. Aliquot sinapi temperandi convivis et aliis mundi gaudiis.
- III. Via ad regnum, unde amaritudine repleta.
- IV. Cur per aspera et amara eundem sit ad cælum.
- V. Conjugum officia inter se mutua.

CONCIO I.

MILITANS ECCLESIA CUR VOCETUR REGNUM COELORUM.

Quia Regem cælestem habet. — II. Quia similis cælo. — III. Quia de cælo descendit. — IV. Quia ad cælum tendit. — V. Quia in eo regnant Christiani velut in cælo. — VI. Quia in terra cælestem vitam æmulatur.

THEMA

Simile est regnum cælorum grano sinapis.
Matth. XIII.

Genesis cap. II. legimus Adamo hanc a Deo potestatem factam, ut pro indita sibi sapientia omnibus animalibus, quæ sunt super terram, nomina imponeret: Et quod vocavit Adam, ipsum est nomen ejus, ait sacer textus. Cæterum ut Adam primus rebus naturalibus, ita secundus Adam noster Christus rebus, quæ supra naturam sunt,

sua indidit nomina pro sua sapientia et potestate. Quare quod ipse vocavit, ipsum debet esse nomen ejus. Porro in hodierno evangelio Ecclesiam militantem vocat Christus manifeste regnum cælorum: Simile est regnum cælorum grano sinapis. Ita eandem appellavit in dominica quinta post epiphaniam proxime elapsa: ita eum rursus appellat in dominica septuagesimæ mox sequente. Hoc igitur est et esse debet verum et genuinum Ecclesiæ nomen, quod Christus ei dedit. Videtur mihi Isaias hoc idem prædixisse, cap. LXII. ad Ecclesiam loquens: Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. Et quodnam illud? Sequitur mox: Et eris corona gloriæ in manu Domini et diadema regni in manu Dei tui, q. d. evehet te ad dignitatem coronæ et regni sui, quo coronatur in cælis, et ita faciet ac vocabit te regnum cælorum. Magna dignitas Ecclesiæ et gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Quam vero

congruenter sic vocetur Ecclesia, nunc disquatiemus.

I. Quia regem habet Regem cœlorum Christum, adeoque eundem illum, quem habent in cœlo beati. Sic enim testatur ipse: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra*, Matth. ultimo. Item quia Ecclesia triumphans militanti annexa est et incorporata. Utrobique Christus præsens est, ibi in gloria, hic in eucharistia. Idem tributum ei pendimus, charitatem, nisi quod nos præterea fidem et spem addere debemus; tamen cum differentia: nam beati habitant cum Christo, quasi in metropoli, vallis et præsidii optime munita; Ecclesia vero militans quasi in suburbio vel aliis regni pagis, oppidis, urbibus. In his enim rex videtur rarius et velut in transcurso, nec in sua majestate, sed vel veste indutus venatoria, vel peregrina; in his ædificia humilia et fragilia, victus et vestitus incolarum vilis, in his omnia aperta hostibus et intuta sunt atque immunita; in metropoli vero regia, videtur rex perpetuo, et quidem in sua gloria, ædificia omnia splendent, uti et victus atque amictus civium, omniaque tuta sunt, mœnibus, fossis et vallis communita. Simili modo videtur quidem sæpe Rex noster in suburbio vel pago Ecclesiæ militantis in ss. eucharistia, sed nec semper, nec ea specie, quam ostendit beatis in cœlis, nec eo modo; quia per fidem tantum: beati autem in Ecclesia triumphante vident Deum semper, vident eum in gloria sua, vident faciem ad faciem. Rursum hic habitamus in domibus tantum luteis et lapideis quasi in tugurio rusticano, ex limo et lignis compacto, lutea vasa portantes: beati vero in *domo non manufacta æterna in cœlis*, ut ait apost. II. Cor. V. Victus etiam et vestitus noster vilis et rusticanus est. Pascimur quidem verbo Dei et ss. eucharistia; sed non cum eadem lautitia, nec cum eodem gustu, quemadmodum beati, quibus ipsa Dei visio omnes delicias et voluptates præbet. Vestimur Dei gratia velut arma tantum et pignora gloriæ, virtutibus etiam sed his imperfectis. Taceo sordes peccatorum, quæ nemini non adhærent: at beati omnes fulgent veste gloriæ, omni virtute splendent, nihil in illis sordidum aut coinquinatum, quia ut scribit Joannes, Apoc. XXI. *Nihil coinquinatum intrat in civitatem cœlestem*. Ad hæc omnes nos in hoc suburbio vel pago Ecclesiæ militantis habitamus immuniti contra hostes, mortem, carnem, mundum, dæmonem, peccatum: omnia hic intuta sunt et hostibus nostris pervia; hinc clades quotidianæ: quotidie enim morimur, quotidie labimur, quotidie vincimur et prosternimur: modo habemus, modo

non habemus. At in metropoli triumphantis Ecclesiæ, omnia munita, omnia tuta sunt: *Quoniam confortavit seras portarum tuarum*, inquit David, Ps. CXLVII. *benedixit filiis tuis in te*. Ibi omnes securi et benedicti sunt. Ecclesia quidem militans, prævalebit portis inferi, quia Christus rex tuetur eam velut regni sui partem alteram, sed patitur interim plurimas molestias et vexationes a plurimis ejus hostibus etiam internis. Multi in eam intrant mali, multi ex ea deficiunt boni: cives cum rusticis admixtos habet, quia alii cœlestia, alii terrena tractant, quærent, amant. In cœlo omnes politici et aulici sunt, summa ac cœlestia tantum bona tractantes. Hinc nos velut rustici crassam Deo reverentiam facimus, crassis moribus et rudi lingua utimur: ibi omnia culte, docte et ornate fiunt.

II. Quia Ecclesia militans quoad multa similis est cœlo, quod videmus. Nam primo, excelsa est instar cœli, quoad fidei mysteria, quæ suo intellectu nemo penetrare potest, quemadmodum et cœlum nemo digito tangere, qualiscumque gigas sit. Secundo, magna et amplissima est per totum orbem terra marique diffusa, unde a quatuor plagis mundi dicitur congreganda: quemadmodum et cœlum totam terram ambit et luce sua collustrat. Tertio, fulget suis sideribus, quemadmodum et cœlum; habet enim solem, pontificiam auctoritatem: habet lunam, imperatoriam potestatem: habet duodecim signa zodiaci, duodecim apostolos: habet sidera alia majora et minora cardinales, archiepiscopos, episcopos, præpositos, abbates, pastores, doctores, etc. qui omnes sua luce influunt in inferiora Ecclesiæ membra, fovendo ea exemplis, illuminando doctrinis: de quibus dixit Christus: *Vos estis lux mundi*. Cæterum sicut inter astra principatum obtinet sol, a quo cætera omnia mutant lumen suum: ita in Ecclesia pontificia auctoritas, cui ex altera parte respondet imperatoria, velut luna. Illa luminare majus; hæc minus: illa præest diei, id est, spirituali Ecclesiæ regimini; hæc præest nocti, id est, sæculari: ille superior; hæc inferior et subjecta superiori, id est, pontificiæ potestati. Unde Apoc. XII. dicitur Ecclesia *mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim*, qui sunt duodecim apostoli, quasi totidem signa zodiaci, terram totam ambientes et Christum solem ad eam undique deferentes. Hinc etiam Innocentius III. papa ad Constantinopolitanum imperatorem scribens, ait: « Ad firmamentum cœli, id est, universalis Ecclesiæ fecit Deus duo luminaria magna, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis auctoritas et regalis potestas. Sed illa quæ præ-

est diebus, id est spiritualibus, major est, quæ vero carnalibus minor, etc. l. I. decretal. tit. XXXIII. ca. Solitæ. » Rursum sol illuminat lunam, non contra: sic potestas pontificia instruit et gubernat in spiritualibus, imo et confirmat in sæculari regimine imperatoriam. Sol obscurare per eclipsin potest lunam totam; luna vero solem non nisi ex parte aliqua, nec adimere ei potest splendorem, sed impedire tantum ejus radios sua interpositione: sic pontificia potestas tollere potest regiam dignitatem uni et transferre in alium, uti fecit Leo papa III. qui imperium transtulit a Græcis ad Francos in Carolum Magnum. Contra imperator nihil habet imperii in pontificem. Potest quidem eum non nihil obscurare persequendo, incarcerando, in exilium pellendo, etc. quod aliquoties factum; sed nequit potestatem ei adimere. Sol in suo splendore stabilis est, luna vero mutabilis: sedes pontificia invicta semper manet et stabilis usque ad finem mundi: sedes imperatoria mutabilis est et varia, a Romanis translata ad Græcos, a Græcis ad Francos, ab his ad Germanos. Denique, sicut sol modo ad nos accedit versus septentrionem a solstitio hierno, modo a nobis recedit versus austrum, a solstitio æstivo: ita pontificia potestas et influenza variat quoad hoc, dum modo lumen evangelii deferat ad hanc, modo ad aliam orbis plagam. Accessit ad nos Germanos, cum per legatos suos Bonifacium, Rupertum, Wilibaldum, etc. nos evangelii luce collustravit: recessit a nobis cum per hæresim repudiata migravit ad orbem alterum, Americam, Indiam, Chinam. Quarto, cœlum omnibus conspicuum est, ita et Ecclesia nequaquam invisibilis, uti fingunt hæretici, sed conspicua et manifesta est: *In sole enim posuit tabernaculum suum*, non in occulto, non quæ lateat, ut exponit S. August. in Ps. XVIII.

III. Quia de cœlo descendit et originem suam habet, cœlo suam foundationem et stabilitatem, suam prædestinationem, suas virtutes, gratiam et merita debet: de cœlo angelorum custodiam adoptionem filiorum, sacramenta et pastores suos habet. Alia regna humana tantum sunt, nec quidquam præter humanum habent, veluti cum a regibus creantur aliqui comites, alii barones, alii præsides vel quæstores, cum filii spurii legitantur, cum alii titulis, honoribus, privilegiis donantur, alii infames declarantur, etc. hæc enim omnia annullari et revocari possunt ab iisdem vel sequentibus regibus. Ipsi reges ab hominibus constituuntur et exauctorantur. At vero in Ecclesia multa a Deo fiunt omnem virtutem creatam excedentia, ut cum per baptismum a pec-

catis emundamur, et spiritualiter renascimur, et aptamur in Dei filios ac velut oves Christi characterem consignamur: cum per confirmationem accipimus virtutem ex alto, ut in fide solidemur et roboremur ad eandem retinendam ac tuendam: cum in poenitentia absolvimur a peccatis, ita ut in cœlo etiam simus absoluti: cum manna cœlesti pascimur in s. eucharistia: cum sacerdotes initiantur, accipiunt potestatem conficiendi corpus Christi et dimittendi peccata, ita ut hac potestate nequeant spoliari: cum summus pontifex infallibili Spiritus s. assistentia ita regitur, ut in rebus fidei decernendis nequeat errare; cum vinculo indissolubili connubia sociantur. Plura numerant Judæi, quæ de cœlo habuerunt, beneficia ante captivitatem Babylonicam, veluti quod ignis de cœlo lapsus absumebat sacrificia; quod responsa et oracula dabantur e propitiatorio; quod fulgor gemmarum in rationali pontificis declarabat eventura; quod cum aliquis esset inungendus, devolabat spiritus gratiæ et insilliebat in unguentum: quæ commemorat S. Chrysostomus, orat. III. contra Judæos. Sed non minora, imo majora habemus nos Christiani. Nobis enim Christus ipse in missæ sacrificio de cœlo ad nos delabitur. Nobis summus pontifex oraculum est infallibile in rebus ad fidem spectantibus. Nobis etiam *Spiritus sanctus reddit testimonium spiritui nostro quod sumus filii Dei*, ut ait apost. ad Rom. VIII. cum nimirum splendent in nobis virtutes, maxime amor Dei et rerum cœlestium, humilitas et promptitudo ad obediendum Deo, odium ingens peccati, etc. Nobis etiam de cœlo ordinantur et unguuntur sacerdotes, imo et laici omnes in baptismo et confirmatione.

IV. Quia ad cœlum tendit. Nam secundum unam sui partem jam ad cœlum pervenit, secundum alteram adhuc eo pergit: sicut cum una et eadem supplicatio in parte præcedente jam templum est ingressa, insequente subsequitur: vel quo modo populus Hebræus per mare rubrum incedens, quoad præcedentes emergebat, quoad sequentes ad ripam tendebat: velut unus et idem exercitus cum aliquot vexillis et militibus jam conscendit murum, cum aliis adhuc pugnat et oppugnat castrum; quo isti pervenerunt, illi perventuros se sperant, quia regnum, pro quo pugnant, jam quasi in manu habent. Unde ait Dominus: *Regnum Dei intra vos est*, Luc. XVII. Hinc Ecclesia nostra militans, illa triumphans dicitur. Spartani a quodam rogati, quantum terræ possiderent? respondisse feruntur: *Quantum hasta pertingimus*, Plut. in Lacon. Atqui Ecclesia militans hasta fidei et spei ac pugna spirituali

contingere et expugnare cœlum potest; ergo illud suum esse merito existimat et vocat regnum suum.

V. Quia uti regnant in cœlo beati, sic suo modo Christiani in Ecclesia præsenti. Nam primo, sicut beati nullis legibus subjecti sunt; quia a Dei voluntate nec possunt nec volunt recedere: sic etiam in Ecclesia: *Iusto lex non est posita*, teste apostolo, I. Tim. VI. Et ut ait ibi S. Chrysost. *Iustus non est sub lege, sed supra legem*; quia legem quidem obligantem habet, non tamen cogentem; nam quæ legis et æquitatis sunt, facit ultro et ex amore, quemadmodum et beati. Unde idem apost. ad Gal. V. ait: *Quod si spiritu ducimur, non estis sub lege*. Aristippum interrogavit Dionysius tyrannus quid præ cæteris mortalibus eximium haberent philosophi? Cui Aristippus: *Ut etiam si omnes leges aboleantur victuri simus*, Laert. I. VI. Multo verius hoc dicitur de philosophia christiana, in qua oderunt peccare boni virtutis amore. Unde fit ut hoc ipso regnent, dum hoc pacto serviunt Deo. Servi enim Dei ejusdem etiam amici sunt. Unde Deus facit voluntatem eorum, quemadmodum in Ecclesia triumphante, ita et in militante, juxta id: *Voluntatem timentium se faciet*.

Secundo, quia norunt seipsos regere et dominari appetitibus suis, iræ, gulæ, superbiam, libidini, avaritiæ, membris item, potentiis et passionibus suis. Unde S. Augustinus, in sententiis, sent. CCXLII. ait: « Non caret regia potestate qui corpori suo noverit rationabiliter imperare. Vere enim dominator est terræ, qui carnem suam regit legibus disciplinæ. »

Tertio, quia dominantur mundo et iis, quæ in mundo sunt, opibus, honoribus et voluptatibus, per contemptum earum. Unde Apoc. XII. dicitur Ecclesia lunam, id est, sublunaria et mundana habere sub pedibus: *Quia ipsa cuncta temporalia et omnem creaturarum mutabilitatem despicit et pedibus calcatur*, (ut ait S. Gregor. XXXIV. mor. c. XII.) item infidelibus, hæreticis et improbis, quos aut convincunt aut confundunt, rursus dæmoni, mortui, persecutioni et quibuscumque tribulationibus; quia superare hæc omnia norunt, ideoque ea despiciunt et rident tamquam ex loco edito vel cœlo. Ob has causas S. Petrus, ep. I. c. II. vocat christianismum *regale sacerdotium*; ideoque olim baptizatorum capiti corona imponebatur ab episcopo benedicta, quod videlicet reges essent ad Dei familiam et regiam dignitatem evecti, ut scribit Severus Alex. I. de baptismo. Propterea etiam inunguntur infantes, quemadmodum et reges.

VI. Quia in terris cœlestem vitam agit aut æmulatur saltem militans Ecclesia: certè filios suos

ad ejusmodi vitam dirigit et hortatur. Quemadmodum enim nobiles pueri in Chaldaea de mensa regis alebantur, instituebanturque in litteris et lingua Chaldæorum (scientia autem Chaldaea erat fere astrologia) usque dum apti essent apparere coram rege, eique semper assistere, Dan. I. ita et Ecclesia nutrit filios suos in s. communione de mensa regis cœlestis, in qua Christus ipse cibus et deliciæ est beatorum: instituit etiam illos in vera sapientiâ ad Dei cultum et obsequium aliasque virtutes, quo nimirum digni fiant assumi ad regem cœlestem: docet eos astrologiam, contemnere omnia sublunaria, nec sibi in hoc sæculo manentem comparare civitatem, sed futuram inquirere: docet eos linguam cœlestem, id est, Dei laudem, videlicet in templo ad instar angelorum quotidie et pene continuo Deum laudare in hymnis et sacrificiis, item quotidie ter dicere cum beatis: *Sanctus, sanctus, sanctus*, dum trino pulsu, matutino, meridiano, vespertino, ad orandum eos hortatur, omnia in laudem et gloriam Dei facere, servare concordiam et pacem, per omnia Dei voluntatem facere, unde orat quotidie: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*, vitam monasticam sectari et ita angelorum vitam in religione vivere: denique, conversationem suam in cœlo habere, et corde ac desiderio semper in cœlo fixum esse.

Quæ cum ita sint, laudemus imprimis Christum cum sanctis omnibus dicentibus, Apoc. V. *Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes, et regnabimus super terram*. Deinde, operam demus ut ne in hoc regno putrida membra simus et solo nomine Christiani, nec coronam Christi regiam spuris gemmis contaminemus ne nobis aliquando dicatur: *Filii autem regni ejicientur foras*. O quantum hoc affliget damnatos Christianos, cum animo revolvent se jam aliquando fuisse in regno cœlorum, Ecclesia videlicet, quæ rectissima ad cœlum via est ejusque municipium; inde vero cum Lucifero excidisse in infernum! Jam non dubito amplius quin mali Christiani profundius in infernum cadant et gravius damnentur, quia ex altiori loco, ex ipso videlicet regno cœlorum cadunt in profundum illud barathrum. Deijcite e turri lapidem molarem, vel campanam: nonne in terram profundius cadet, quam si de curru caderet? Ergo, etc.

CONCIO II.

INCREMENTUM ECCLESIAE.

I. Crevit viris apostolicis. — II. Ordinum statibus variis. — III. Legibus et censuris. — IV. SS. cæremoniis. — V. Scientiis et doctrinis. — VI. Viris sanctis. — VII. Virtutibus.

THEMA.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis.
Matth. XIII.

Varias expositiones hujus parabolæ adducunt ss. patres, quæ quoniam inter se non pugnant, sed fere in idem coeunt, omnes debent cum veneratione suscipi. S. Hilarius, Ambrosius, Gregorius per regnum cœlorum et granum sinapis Christum intelligunt, S. Chrysost. Ecclesiam, S. August. fidem, S. Hieronymus prædicationem evangelii. Omne hæc explanationes sibi cognatæ sunt et a se invicem dependent. Placet inter illas sententia Chrysostomi, hom. XLVIII. in Matth. qui per granum sinapis Ecclesiam intelligit. Quemadmodum enim granum sinapis in se minimum, in arborem excreseat altiore omnibus herbis; ita et Ecclesia e minimo exordio crevit in regnum omnium amplissimum, toto orbe diffusum. Deinde, quemadmodum granum sinapis multa et varia corpora virtute in se continet; uti lignum, corticem, ramos, virgas, folia, flores, fructus, (siquidem seminatum hæc omnia ex se gignit) ita et Ecclesie regnum in suo exordio humile, parvum et contemptum sensim crevit et ingentes fructus protulit, non dissimiles illis, quos in grano sinapis contineri diximus. Eos vero nunc contemplabimur.

I. Granum sinapis virtute in se continet primo, stipitem arboris seu lignum, in quod excreseat. Ita et Ecclesia continet in se viros apostolicos, in fide firmissime solidatos, robore duriores, quia ad quævis adversa infracti, ad quævis martyria sustinenda imperterriti sunt; prælatos item et pastores scientia et virtute præcellentes, qui infirmiores alios fideles veluti ramos suo robore sustentant, et succo doctrinæ atque exempli sui pascunt, adeoque totum Ecclesie corpus sustentant, fundat in radice Christo. Fuerunt autem Ecclesie necessarii tales viri, qui potestatem jurisdictionis haberent ad fideles gubernandos, ad prædicandum evangelium, ad sacramenta dispensanda, etc. non minus, quam ovili necessarii sunt pastores ad hoc deputati; tum ne, si civis se ad concionandum et sacramenta dispensanda ingerenti credere oporteret, essemus sicut parvuli fluctuantes et circumferremur omni vento doc-

trinæ in nequitia hominum, in astutia, in circumventionem errorum, ut cibum verbi Dei Ecclesie filiis parvulis frangerent, præmaderent et distribuèrent. Submisit porro Christus paulatim hujusmodi viros Ecclesie suæ majore numero, et ita quidem, ut non modo civitates illis abundent, verum etiam pagi omnes populosiores suis instructi sint pastoribus et concionatoribus per universam Ecclesiam, iisque pulcherrimo ordine sibi invicem subordinatis, ita ut omnes ab uno Ecclesie capite dependant, et in ejus fide et obedientia inter se connexi sint. Ex quo et illud fit, ut nemini facile sit ingerere se in opus pastorale absque legitima missione, aut errores seminare: quandoquidem a superiore magistratu cito deprehenduntur et corripiuntur isti lupi. Atque ut de sola nostra Germania aliquid dicam, habet ea quatuor nuntios apostolicos, septem archiepiscopos, quibus universim subjecti sunt, plusquam quadraginta episcopi, demptis iis, qui immediate subsunt Romano pontifici, et qui aliis archiepiscopis extra Germaniam sitis. Horum singuli episcopi multis præsentibus abbatibus, præpositis, prioribus, decanis. Et hi compluribus parochis, qui ita commode per omnes terras divisi sunt, ut nulla reperiat ovicula, quæ suum nequeat demonstrare pastorem. Ad hos igitur viros attendit peculiari cura Ecclesia, ut sint (contra quam hæretici) nubes aqua cœlestis sapientiæ plenæ ad irrorandos fideles, sint arbores non bis mortuæ, sed bis vivæ, duplici vita, fidei et charitatis: nec sint contenti foliis verborum, sed fructus etiam proferant honorum operum: non sint mare turbatum, sed tranquillum, non sidera errantia, sed fixa in fidei petra, et sint velut stellæ polares ad aliorum directionem. Crevit denique in his Ecclesia, non solum numero sed etiam robore, dignitate et potentia in summis pontificibus et episcopis, ita ut ipsi suis operibus et viribus defendere queant Ecclesiam contra ejus hostes, siquidem episcopi in multis nationibus sunt etiam principes in temporalibus. Huc respexit Zacharias, cap. IX. dicens: *Circumdabo domum meam ex his qui militant mihi euntes et revertentes, et non transibit super eos ultra exactor*.

II. Ramos permultos. Hi vero sunt varii ordinum status seu religiones earumque fundatores magno numero et varietate institutorum et regularum, ad scopum perfectionis collimantium. Hi ordines Ecclesiam velut rami arborem miro modo exornant atque juvant. Ornant quidem, dum sublime vitæ genus, quod quævis impedimenta perfectionis removet et ad Christi imitationem proxime accedit, sectantur, eique se ex-